

35. R. nequit dubitari Dæmones versari etiam nunc in aere ad exercitium hominum; constat enim non solum ex rituali Romano, & ex Apostolo loco laudato, sed etiam ex *Mattb. Ultim.* ubi Christus inter signa suorum fidelium posuit virtutem eos ejiciendi; in nomine meo Dæmonia ejicient. Igitur si textus Apocalypsis intelligatur de ligatione per Christum, ita ut nequeant fideles tentare, quantum vellent; nec quantum ante adventum Christi tentare solebant.

36. Alii ajunt proprius intelligi textum Apocalypseos de Lucifero, qui antonomastice appellatur draco, serpens, & Diabolus, qui per Christum in abyso est reclusus mille annis, idest tempore gratiæ usque ad adventum Antichristi in bonum Ecclesiæ, & electorum, juxta illud *Joan. 12. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Cæteri vero Dæmones, vel plures ex eis non sunt clausi in inferno.

37. Nota, quod hic locus Apocalypsis nimis ad litteram acceptus fuit, occasio erroris eorum, qui *Cbiliastas*, vel *millenarii* dicuntur, quorum primus fuit Papias Episcopus Hieropolitanus, & discipulus ipsius Evangelistæ Joannis, cui subscriperunt aliqui SS. Patres asserentes devicto Antichristo sanctos in hoc mundo gavisuros omnibus delictis, juxta impurissimum Ceriathum, carnalibus, juxta Ireneum, & alios, spiritualibus. Sed hic est error improbatus communi sensu SS. Patrum, quia sancti non egent delictis hujus mundi, cum in cælo omnibus gaudeant. Mille itaque anni denotant tempus gratiæ usque ad adventum Antichristi; tunc enim *solvetur Satanas de carcere suo, & exiet*, ut ibidem dicitur. Uno verbo Lucifer nunc est ligatus in abyso, alii vero Dæmones versantur in aere.

38. Objic. 2. spectra, larvæ, seu lemures faciunt quasdam levitates excitantes ad risum, ut frangores, vel sonitus catinorum, & alia ridicula; sed Dæmones, igne averni ubique torti, non sunt in statu faciendi ridicula, vel movendi ad risum; erg. licet in aere verseatur, præmissa spectra Dæmones non sunt.

39. R. licet Dæmones semper, & ubi-

que crucientur igne tartareo, efficiunt quadam ridicula ad decipiendos homines; novimus enim ex historiis fide dignis sumpsisse quandoque figuram simiæ ad movendum ad risum etiam ministros altari servientes. Nihil quippe eis interest facere ridicula, quoties homini aliquomodo noceant, ex livore invidiæ, qua in eum semper tabescunt; esto media nocendi incongrua sint eorum statui. Quid incongruentius eorum naturæ, & statui, quam luxuria carnalis, & incubatio, aut succubatio? & nihilominus, ut supradiximus ex SS. Hieron. August. & Thoma dantur Dæmones talia perpetrantes, quidquid alii minoris auctoritatis reluctari contendant, & quod Dæmones faciant quasdam levitates ad risum moventes admittitur ab Angel. præcept.

1. 2. q. 89. a. 4. ad 3.

40. Objic. 3. D. Chrisost. *homil. 22. in Genes.* & Cassian. *Collat. 8. cap. 21.* negant esse credibile spiritum posse coire cum foemina: erg. non est admittenda incubatio, aut succubatio in Dæmone. R. Chrisostomum, & Cassianum solum negare Angelos natura sua id posse facere, aut eorum primum peccatum fuisse ex libidine; aut se miscuisse carnaliter cum foeminis, quæ *Genes. 5.* appellantur *filie hominum*; non tamen negant posse in natura assumpta incubare, succubare, & etiam semine humano generare.

41. D. Augustinus, qui prius de hoc dubitaverat, postea ait tam constanti fama, tantorumque hominum testimonio constare Dæmones assidue immunditiam hanc tentare, & efficere, ut hoc negare imprudentiæ videatur. Ita testatur in *lib. 15. de Civit. cap. 23.*

42. Apulejus, & Platonicus putaverunt Dæmones esse quædam animalia aerea; quo posito, aut ficto, non esset adeo extraneum a natura eorum ridicula facere, aut generare; sed est error antiquus, a quibusdam modernis suscitatus, & partim adoptatus taliter, quod illum venditare velint ut novam philosophiam a se inventam: in quo dupliciter errant, quia ex una parte reperiuntur apud veteres sapientes plagiarii, & ex alia stulti, despicientes viam majorum, & nolentes subscribere doctrinæ sanæ D. August. & D.

D. Thomæ, quos Ecclesia semper laudat inter sui firmamenti luminaria majora.

43. Supposito ergo spectra, seu larvas non esse animalia, sed spiritus, qui communiter dicuntur Dæmones, proli-gandi sunt a domibus, vel aliis locis, in quibus nocent, aut terrificant, eisdem remediis supra indicatis, videlicet exorcismis, orationibus, aqua benedicta, signo crucis, invocatione nominis *Jesu, & Mariæ*, & puritate conscientie habitantium; frequentius enim infestant loca, ubi gravia crimina sunt perpetrata, vel habitant homicidæ, aut alii homines scelerati. Quæ ut superstitiosa rejicienda sunt remedia, quibus ethnici utebantur contra lemures, nempe fabæ nigre prius in ore versatæ, & post tergum projectæ, aut arma, vel effusio sanguinis infantium, quod non solum superstitiosum, sed crudele, & inhumanum est.

44. Inq. 2. An unicuique homini sit deputatus Dæmon ad ei nocendum, sicut Angelus bonus ad eum custodiendum? R. affirm. quia Lucifer est simia Dei, & sicut Deus destinavit suos spiritus ad dirigendos homines in cælum, distribuendo regnis, provinciis, & communitatibus peculiarem principem, præsidem, aut rectorem ex Angelis superioribus, & custodem ex inferioribus unicuique homini: ita suo modo Lucifer ex Dei permissione habet suos ministros deputatos, superiores quidem pro regnis, provinciis, & communitatibus vexandis, & perturbandis, pro unoquoque autem homi-

ne tentando, & impugnando inferiores. Sunt enim etiam inter Dæmones alii aliis superiores, quia ex omni hierarchia ceciderunt plures, & non amiserunt perfectionem naturæ, in qua creati fuerunt. Unde juxta eorum perfectionem naturalem superiores præsent inferioribus, & Lucifer omnibus, quod habet partim a natura, partim ex communi eorum nequitia, & consensu, ut ait D. Thom. 1. p. q. 109. a. 2. ad 2.

45. Dices: ergo datur ordo in Dæmonibus, quod non videtur verum. Sequitur etiam ex dictis, quod alii aliis obediunt, & quod Lucifer sit Prælatus omnium, ex quo aliquid honoris, & gaudii ei adveniret, quod non est credendum. R. quod ordo naturalis, in quo a Deo fuerunt creati, remanet in Dæmonibus, licet ex malitia eorum perversus, & depravatus. Unde alii aliis coacte subduntur, & obediunt semper in malum, semperque ex prava intentione nocendi homini. Prælatura autem Luciferi nihil honoris, aut gaudii ei affert; nam esse Prælatum malorum, non honor, sed ignominia, & miseria est; unde major inter Dæmones est pejor, & magis miser. Nihilominus omnes conveniunt ad nocumeum hominum maxima sollicitudine; ex qua oportebat, quod disceremus, quanta cura, & diligentia debeamus vigilare contra eorum insidias. Clamemus continuo pro auxilio divino, vigilemus, & oremus, ne intremus in tentationem, ne ab eis superemur, sed profligando eorum pertinaciam, gloriemur de æterna victoria.

## TRACTATUS DECIMUSQUARTUS

### DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

#### CAPUT UNICUM.

##### De festorum observatione.

##### PUNCTUM I.

##### De præcepto servandi festa.

1. Inq. 1. An detur præceptum servan-

vandi festa? R. affirm. constat ex cap. 2. Exodi. ubi Deus præcepit Judæis sanctificare Sabbatum, & abstinere in eo ab omni opere servili. Hoc est tertium Decalogi præceptum, quod licet quoad determinationem diei Sabbati cæremoniale esset, & jam cessavit; tamen in quantum jubet cultum Deo tribuere in memoriam beneficii creationis, est morale, & omnes obligat.

2. Inq. 2. Quid jubeatur per hoc præceptum? R. jubetur dare Deo aliquem cultum exteriorem absque exclusione interioris; non vero actus caritatis, & contritionis. Ita D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ubi cum dixisset, quod ad cultum interiore magis inducimur per instinctum Spiritus Sancti, addit: *Ideo in tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficii, quod pertinet ad omnes, scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi, a quo requievit dicitur Deus septima die, in cujus signum dies septima mandatur sanctificanda*: ergo cultus exterior, qui est actus religionis, non vero caritatis, aut contritionis jubetur in hoc præcepto. Ex quo sequitur hoc præceptum quoad hanc partem esse affirmativum; præcipit enim aliquem cultum indifferenter: erg. præcipit actum positivum religionis, & consequenter est affirmativum; licet in quantum prohibet opus servile, sit negativum.

3. Inq. 3. Quando cæpit obligatio hujus præcepti? R. tempore Moysis, ut constat ex citato capite Exodi. Quamvis enim cultus Deo debitus ab origine mundi a Patriarchis, & cæteris hominibus tribueretur; tamen observatio Sabbati a Moyse intimata fuit Judæis, ut præceptum cæremoniale ob quatuor præcipue causas. *Prima*, ut beneficium creationis universi, a qua Sabbato Deus requievit, præsertim Sabbato recolent, ut dicitur eodem capite Exodi. *Secunda*, in memoriam liberationis a servitute Egyptiaca, ut patet ex Deuteronomo 5. 15. *Tertia*, in signum electionis, qua præ aliis gentibus Judæos Deus sibi elegit, ut constat ex cap. 31. 13. Exodi. *Quarta*, ut ultimo die hebdomadæ daretur requies servis, & ancillis, ut habetur Deuteronomo 5. 14. Quam bonus noster Deus!

qui etiam de servis, & ancillis curam habet, eisque compatitur. Sit laudatus in sæcula!

4. Inq. 4. Quo die teneantur Christiani hoc præceptum observare? R. præcipue die Dominica, in quam festivitas Sabbati ab Ecclesia translata est, ideoque Dominica est dies in qua Synagoga finitur, & Ecclesia nascitur, quia in eam universa gratia, & solemnitas Sabbati Judæorum mutata est, ut inquit D. Aug. serm. 7. de Resurrectione. Constat ex cap. Pronuntiatum, ex cap. Pervenit, de Consecrat. dist. 3. & ex cap. Sabbato. Causæ hujus translationis inter alias duæ sunt principales, nempe in memoriam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, & ut a Judæis Sabbatum colentibus secernamur. Causæ dignissimæ nostra gratitudine!

5. Inq. 5. An observatio diei dominicæ sit de jure divino, aut ecclesiastico? R. esse de jure ecclesiastico. Ita D. Th. ubi supra, dicens: *Ad quartum dicendum, quod observantia diei Dominicæ in nova lege succedit observantia Sabbati, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani*: erg. est de jure ecclesiastico. Cæterum cum sit universali Ecclesiæ consuetudine obfirmata, utpote emanata ab Apostolis, & ab Anacleto Papa præcepto universali sancita: ideo esto de potestate absoluta Pontificis variari possit, non tamen de potestate ordinaria, qua ratione observatio diei Dominicæ moraliter invariabilis dici potest, licet sit de jure ecclesiastico.

6. Inq. 6. An præter Dominicam sint alii dies festi observandi? R. affirm. quia sicut Judæi præter Sabbatum alias solemnitates in Dei cultum celebrabant, ita ab Ecclesia præter Dominicam, alii dies ad Deum, & ejus sanctos colendos sunt instituti. Si autem cupias eorum initium, & institutionem scire, consule cursum Salmanticensem, qui erudito, & opulento calamo, ut assolet, agit de eorum initio, & institutione, & numero. Tom. 5. tr. 23. cap. 1. a num. 41.

7. Inq. 7. Qui habeant potestatem festa instituendi? R. Papam, & Concilium generale legitime congregatum posse pro tota Ecclesia dies festos instituere: quia ha-

habent jurisdictionem in tota Ecclesia ad ferendas leges, quæ sibi congruentes visæ fuerint. Idem valent Episcopi in sua Diocesi cum clero, & populo propter eandem rationem. Imo solus Episcopus gaudet potestate instituendi festa de sanctis canonizatis, non vero de beatificatis; debent tamen abstinere ab indictione novorum festorum, ut cavetur in Bulla Urbani VIII. incipiente *Universa per orbem*, ubi circa hoc in Domino monetur. Nullus alius præter Papam, & Episcopos tali gaudet potestate; est enim potestas ecclesiastica ordinata ad dirigendos fideles in cultum Dei, & sanctorum.

## PUNCTUM II.

## De obligatione hujus præcepti.

8. Inq. 1. Quando incipiat obligatio servandi festa? R. Incipere a puncto mediæ noctis antecedentis usque ad mediæ noctem subsequentem. Ita distinguimur a Judæis, qui a vespere usque ad vesperam Sabbata sua observabant, & adhuc misera superstitione observant. Si autem festum cadat in diem impeditam, transfertur quoad officium, non vero quoad festivitatem, & indulgentias, nisi aliud expresse disponatur, ut de die Annuntiationis, qui si incidat in diem Parasceves, aut Sabbati sancti, transfertur etiam quoad festivitatem in feriam secundam immediatam post Dominicam in Albis ex Decr. Alex. 8. 11. Mart. 1690.

9. Inq. 2. An præceptum sanctificandi festa obliget sub gravi? R. affirm. constat ex propositione 52. damnata ab Innoc. XI. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*. Ratio id ipsum suadet, quia Ecclesia habet potestatem instituendi festa, & obligandi fideles ad eorum observantiam: erg. cum materia gravis sit, obligat sub gravi.

10. Inq. 3. Ad quid obliget præceptum festa sanctificandi? R. obligare ad duo, nempe ad audiendam Missam, & ad abstinendum ab operibus servilibus. Ita tenet universalis Ecclesiæ traditio, & constat ex jure canonico textibus supra citatis, & aliis, ubi pro diebus festis colendis præcipitur auditio sacri, &

Tom. I.

abstinentia a servilibus.

11. Inq. 4. An qui Missa audita, & feriatu a servilibus reliquum diem absumit otio, recreatione, & colloquiis inutilibus, graviter peccet contra festi observantiam? R. Benedictum XIV. in Bulla que incipit: *Ab eodem tempore*. data 5. Nov. 1745. ita n. 17. se explicare: *Ad propositam a nobis rationem firmam mandam, sufficit legere catechismum Tridentini Concilii. P. 3. præcepto 3. n. 3. ut simul addiscatur, in que opera Christi fideles festis diebus debent incumbere. Ea nimirum sunt, divino sacrificio reverenter adesse, Dei verbum attente, pioque corde audire, Ecclesias frequentare, mundare conscientiam, Deo laudes persolvere, alias, que salutares exercitationes obire.* Hucusque SS. Pontifex omnibus patefaciens spiritum præcepti sanctificandi festa, abstinens (esto Legislator sapientissimus) a decidenda questione, an graviter, vel leviter peccet, qui, audita Missa, nihil aliud facit diebus Deo sacris.

12. Certum vero mihi est hominem otio, vel ludis diebus festis operam dantem, nihil præter unam brevem Missam, de Deo cogitando, parum de eterna salute curare, esseque fere impossibile plurimis peccatis non implicari, & abudubio in maximo sue salutis eternæ periculo versari.

13. Suadendi igitur, hortandi, monendique sunt fideles ad pietatis opera, quibus pro majori, aut saltem notabili parte diei festi Deo vacent, & inserviant, vel sacramenta suscipiendo, concionis, vespers, & aliis functionibus ecclesiasticis devote assistendo, aut lectioni spirituali operam dando, vel actus fidei, spei, caritatis, contritionis, & aliarum virtutum eliciendo, vel opera misericordiæ exercendo, quin Prædicator, vel Confessarius se immisceat in questione gravis, vel levis obligationis, justa monitum Ang. Præceptoris, qui quodlib. 9. art. 15. ita nos docet: *dicendum, quod omnis questio, in qua de mortali peccato queritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.*

Nana

PUNG-

## PUNCTUM III.

De his, qui ad festa colenda adstringuntur.

14. Inq. 1. Qui teneantur præcepto sanctificandi festa? R. teneri omnes fideles utriusque sexus usu rationis habentes: quia omnis usum rationis habens est capax obligationis legis, sive divinæ, sive humanæ: erg. tenentur ad legem sanctificandi festa, quæ quo ad substantiam est divina, & quoad determinationem diei humana. Unde gaudens ante septennium perfectæ usum rationis ad eam tenetur: quando dubitatur, an illo gaudeat, post septennium adstringitur; ante septennium vero, si adsint signa probabilia, cogi debent potestati ad Missam audiendam. Monendi sunt parentes, ut filios ante septennium deferant ad Ecclesiam, ut devotioni Missæ assuescant.

15. Amentes, caterique usu rationis carentes non tenentur legibus; sunt namque omnis obligationis incapaces. Est autem differentia inter pueros ante septennium, & adultos amentes, quod isti excusantur a legibus, illi non tenentur; sed quo ad præsens pericula est, cum utriusque deobligentur. Infideles nulla lege ecclesiastica adstringuntur; quia sunt extra Ecclesiam: eadem ratione nec catechumeni præcepto Missæ ligantur; esto pie admittantur ad Missam catechumenorum, hoc est, usque ad offeritorium. Hæretici legibus Ecclesiæ tenentur, supponuntur enim baptizati, potestatique Ecclesiæ subiecti.

16. Peregrini, & advenæ a proprio territorio bona fide absentes non tenentur servare festa peculiaria sui loci: quia extra territorium jus dicenti non paratur impune, ex cap. ut animarum, de constit. in 6. Si tamen ipso die festo egrediantur, tenentur audire Missam, antequam exeant, dum commode possint, quia obligatio supponitur ibi urgere, & alibi non dari. Transeuntes per loca, vel accidentes ad ea, in quibus festum celebratur, si per aliquas horas ibi morantur, debent, si opportune valeant, Missam audire, & a servilibus abstinere: si enim mere transeuntes accedant,

& aliquid necessarium personaliter agendum occurrat, ad nihil tenentur, sed possunt sibi prudenter consulere.

17. Pernoctantes in loco, ubi dies sequens celebratur, debent audire Missam, nisi primo mane sint discessuri, quo in casu non tenentur expectare Missam. Ex his a fortiori sequitur, morantes in aliquo loco, non solum per majorem anni partem, sed etiam aliquo, vel aliquibus diebus teneri ad festa ejusdem loci; quia leges peculiare afficiunt primario locum: ideoque sicut absentes a proprio loco non tenentur festis illius; ita ratio dicitur teneri festis alterius, ubi reperiantur; alias facile eludi possent festa peculiaria, quod alienum a ratione, & equitate naturalis est. Vide dicta tr. 3. de leg. a n. 193.

18. Omnes religiosi, etiam exempti, tenentur ad colenda festa ab Episcopo pro tota Diocesi instituta, ut constat ex Trident. sess. 25. de regul. cap. 12. Similiter obligantur ad festum Patroni Regni, Provinciae, seu Diocesis celebrandum, & ad observanda festa communi voto, seu consuetudine utriusque clerici sæcularis, & regularis; quia consuetudo universalis omnes obligat.

## PUNCTUM IV.

De abstinentia ab opere servilium.

19. Inq. 1. An omne opus servile in die festo prohibeatur? R. Quod licet Judæis omne opus servile vetitum esset in Sabbato, juxta illud Exod. 20. omne opus servile non facietis in eo: ideoque nec parare, aut coquere cibos erat eis permissum; Christianis vero non prohibetur servilia necessaria ad vitam, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 122. artic. 4. ad 4.

20. Unde quamvis hoc præceptum obliget sub gravi, admittit parvitatem materiæ, ut spatium unius horæ, aut aliquid amplius, dummodo non pertingat, aut nimis accedat ad duas horas. Hæc est parvitas materiæ rationabilior in presenti, nec enim mathematicæ, sed moraliter metienda est. Verum in mercatu, & præsertim in placito, & juramento, aut judicio, de quibus infra, non tam

ex

ex mora temporis, quam ex qualitate operis parvitas, aut gravitas materiæ desumenda est. Ideo agitatio litis, præcipue cum juramento judiciali, aut prolatio sententiæ, esto brevi morula peracta, gravis culpa est.

21. Inq. 2. Quæ opera prohibeantur in hoc præcepto? R. opera esse in triplici differentia, nempe communia, servilia, & liberalia. Communia sunt, quæ omnibus tam liberis, quam servis conveniunt, ut iter agere, ambulare, saltare, aut instrumenta pulsare. Servilia sunt propria servorum, aut famulorum, & continentur hoc versu: *Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.* Rus significat agriculturam, nemus artem venatoriam, arma militarem, rates navalem, vulnera chirurgicam, & pharmacoceam, lana textoriam, & similes, faber fabrillem, quæ sub se alias plures continet. Liberalia sunt, quæ nobilibus conveniunt, & ordinantur ad instruendum intellectum, comprehendunturque hoc carmine: *Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astrum.* Lingua designat grammaticam, tropus rethoricam, ratio dialecticam, numerus arithmeticam, angulus geometriam, tonus musicam, & astrum astronomiam. Ex his omnibus operibus sola ea, quæ proprie sunt servilia, prohibentur in die festo, ut patet ex textu laudato Exodi: omne opus servile non facietis in eo.

22. Inq. 3. Quid sit opus proprie servile? R. est opus corporale mechanicum utilitati hominis ordinatum. Hoc est opus præcipue vetitum in die festo. Ut legitime inferatur ex Deuther. 5. 14. ubi vetatur opus servile, ut in Sabbato daretur requies servis, & ancillis. Pro quo sciendum est ex D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. triplex esse opus servile, videlicet peccaminosum, humanum, & religiosum. Opus peccaminosum servile dicitur ipsum peccatum, quo Dæmoni servitur; humanum est, quo servitur homini; religiosum, quo servitur Deo. Per opus peccaminosum, seu per peccatum non violatur dies festus, quia solum est servile mystice; peccare enim omni die est prohibitum, ideoque peccare in die festo non addit novum peccatum, licet sit deformius, præsertim si committatur in diebus solemnioribus,

aut in quibus mysteria præcipua nostræ salutis celebrantur, esto non sint festivi, ut dies Cænz Domini, & Parasceves. Igitur peccare in die festo, esto sit gravius, non tamen novum peccatum, cum mysticè tantum sit servile, uti expressè assertit Div. Th. 3. sent. dist. 37. q. 1. a. 5. q. 2. ad 2. Nec hic dicendi modus opponitur doctrinæ ab eodem Ang. Præcep. traditæ 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. ubi ait: *Opera peccaminosa contrariari observantiæ Sabbati*: hæc namque contradictio solum intelligitur quoad finem extrinsecum, scilicet conjunctionem animæ cum Deo, non vero quoad finem intrinsecum, nempe cultum Deo debitum tali die, nec datur præceptum speciale vacandi à peccato diebus festis, illud enim Levit. 23. *Omne opus servile non facietis in eo*; secundum moralem significationem, proci significat cessationem ab omni actu peccati, quodammodo præceptum generale est, ait Doct. Ang. ibi ad 1. vel potest dici, quod opera peccaminosa contrariantur observantiæ Sabbati, quando opus mechanicum conjungitur cum peccato, ut si quis iter longum agrediator ad peccandum, si quis in die festo Choreas agat inhonestè, si quis largè tripudiet, si quis diem sacrum scandalis maculet: in his, & similibus non solum delinquitur prima intentione, sed etiam violatione Sabbati, in quantum opus servile proprie tale admisceatur actuali aliis peccaminosum. *Opus autem religiosum sine crimine peragitur die festo: e contra vero opus servile humanum*, ait Div. Th. ubi supra.

23. Inq. 4. An pingere sit opus servile vetitum in diebus festis? R. affirm. quia ars pingendi, sive acu, sive penicillo est mechanica, comprehenditur enim vel sub textoria, vel fabrili: ergo actus ejus sunt ex se serviles: et licet exercentur non semel a nobilibus recreationis, aut voluptatis gratia, non tollit ipsos esse serviles: sicut alia opera non desinunt esse servilia, esto fiant aliquando a nobilibus. Verum formare calamo aliquas figuras ad instructionem non est opus servile. Unde architecti possunt in festis adumbrare artefacta, seu edificia postea construenda.

24. Inq. 5. An transcribere sit opus

ser-

servile. R. neg. quia scribere est opus liberale: erg. etiam transcribere. Patet consequ. quia utrumque opus habet eundem finem. Imo transcribere minorem laborem præferat, quam scribere ex proprio Marte, ut cuius docto satis constat. Unde nec scribere, nec transcribere opera servilia sunt, nec esto fiant luci gratia, servilia evadunt, opus enim liberale ex fine operantis non fit, servile, nec econtra. Aliqui distinguunt inter transcribentes, ut famuli coaducti, & inter transcribentes, ut rogati, esto id obmercedem faciant, & dicunt: quod si illi magnam, vel majorem partem diei Dominica insumant in transcribendis processibus, computis, & aliis hujusmodi non sunt immunes a violatione festi: istos autem esse excusatos dicunt, sive quia aliqua justa causa diebus Dominicis transcribant, sive quia non serviliter operantur. Hanc doctrinam observent advocati, & alii, ne suos famulos majorem partem festi serviliter transcribere compellant. Coordinare litteras ad impressionem est opus servile verum in festis.

25. Inq. 6. An venatio, piscatio, & aucupatio sint opera servilia vetita in die festo? R. esse ex se servilia; tamen ob materiæ parvitatem, seu consuetudinem non violare graviter diem festum, si fiant absque magno labore, aut tumultu, seu recreationis gratia: quia Missa audita, & aliis exercitiis ut supra per actus, scientibus, & patientibus Prælati, fideles venationi, & piscationi insistunt: erg. ex consuetudine ea opera exercere valent saltem absque gravi violatione festi. Igitur consuetudo locorum est inspicienda, nec sumenda major licentia. Piscatio moderata in parvis fluminibus sive reti, sive arundine ex communi consuetudine licita est, ob lucrum tamen non licet, ut inquit Bened. XIV. in Synod. lib. 13. cap. 18. n. 10.

26. Inq. 7. An iter agere sit opus servile? R. neg. quia itinerare, seu ambulare est opus liberis, & servis commune. Mulliones vero, seu agasones, vel alii nequeunt inchoare iter cum jumentis onustis, hoc enim est opus servile, sicut ea onerare; iter autem bona fide diebus præcedentibus inceptum continuare licite possunt. Similiter qui ex neces-

sitate, vel ob publicam utilitatem, aut aliam gravem causam iuriantur, a culpa excusantur.

27. Inq. 8. An aliqua opera liberalia sint diebus festis prohibita? R. affirm. quia mercatus, placitum, & iudicium prohibentur in die festo; cap. Conquestus, de feriis. Nomine mercatus intelliguntur primo nundinæ, quæ prohibentur diebus festis, seclusa consuetudine, esto Benedictus XIV. duplici constitutione ab eis abstinere debere maxime hortatur, monetque Episcopos, ut sollicite eas inhibeat. Præfatæ constitutiones, quarum prima incipit *Paternæ caritatis*, Secunda *Ab eo tempore*, habentur tom. 1. Bull. ejusdem.

28. Secundo Nomine *mercatus* prohibentur emptiones, & venditiones quotidianæ, quæ, sive apertis, sive clausis januis a mercatoribus exercentur; istæ sunt penitus reprobandæ in diebus festis, nec admittenda contraria consuetudo, nisi pro necessariis ad victum, ut panis, vinum, carnes, & alia actualiter necessaria; cætera omnia vendi, aut emi nequeunt absque festi violatione. Circa quod Episcopi, & Parochi sedulo invigilare debent, ne avaritia, & cupiditate mercatorum dies sacri profanentur. *Episcopus removens a diebus Dei cultus specialiter deputatis, aut solemnes nundinas, aut etiam hebdomadarias, nullam definit quæstionem inter Theologos controversam, sed suo muneri indubitanter adnexam auctoritatem exercit*, inquit Bened. XIV. in Synod. lib. 7. cap. 4. n. 3.

29. Nomine *placiti* prohibentur primo iuramentum iudiciale. Deinde partium citationes, & examen testium, etiam absque iuramento. Verum iuramenta pro causa spirituali, aut pro pace, fide, fama, pietate, aliave gravi necessitate licita sunt etiam in festis. Nomine *iudicii* prohibetur omnis sententia civilis, & criminalis, strepitum iudiciale requirens, ejusque contestatio. Sententia autem excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, omnise actus jurisdictionis voluntariæ, necnon appellationes, & causæ concernentes religionem, misericordiam, aut pietatem minime prohibentur in die festo.

FUN.

## PUNCTUM V.

## De causis excusantibus laborantes in die festo.

30. Inq. 1. Quot sint causæ excusantes a præcepto abstinendi a servilibus? R. quatuor regulariter enumerantur, nimirum necessitas propria, vel aliena, utilitas Ecclesiæ, superioris auctoritas, seu dispensatio, & consuetudo legitima: Ex prima causa excusantur omnia servilia præstita in die festo ob necessitatem salutis propriæ, vel alienæ, & ad vitandum damnum grave exterius imminens, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

31. Unde licitum est in die festo præparare cibos necessarios pro illo die, sicut discipuli Christi colligebant spicas necessarias in Sabbato. Ex eadem necessitate excusantur agricolæ tempore messis, & vindemiæ, pistores, furnarii, & qui molendinis inserviunt, dum populi necessitati aliter satisfacere nequeunt. Non tamen sunt excusandæ, sed serio reprehendendæ mulierculæ frequenter deputantes dies festos pro farina cribranda, & aliis laboribus domesticis; non enim communi, sed propriæ utilitati, aut avaritiæ inserviunt. Excusandi vero sunt, qui aliter, quam laborando in die festo, nequeunt se, aut suam familiam sustentare; debent tamen consulere Parochum, aut Confessarium, ne cupiditas necessitatem eis depingat. Similiter eos consulant pauperes ancillæ, quæ sua reficiunt vestimenta in festis, dum aliis diebus id eis a dominis non permittitur.

32. Ex necessitate vitandi damnum imminens excusantur laborantes die festo ad extinguendum incendium, ad congregandas oves, vel alia animalia domestica, ad reparandam ruinam æqualem domus, aut similia. Famuli autem, aut servi coacti a dominis ad laborandum in festis, esto una, aut alia vice excusentur ad vitandas rixas graves; verum si plerumque ad id cogantur, debent eos deserere, quantocius commode valeant, nisi prudenter credant dari causam justam aliquoties laborandi: Occasio adquirendi

Tom. I.

magnum lucrum non est causa sufficiens ad laborandum, alias vix aliquis observaret festa, putans omitto laborum magnum lucrum amittere. Nec est idem pati damnum, ac non acquirere lucrum. Pro vitando otio nulli est licitum laborare in die festo. Oret, legat, flet culpas, ne addat.

33. Qui bona fide, aut ratione paupertatis die antecedenti exiret ad laborandum de loco proprio, in quo celebratur festum, ad alium, in quo non celebratur, non peccat, quia nullibi prohibetur exitus bona fide, aut cum causa de uno loco ad alium. Si autem exiret ipso die festo, deberet prius audire Missam, si commode posset.

34. Inq. 2. An barbitonsores diebus festis suam artem exercere valeant? R. Quod absolute loquendo non possunt, quia est opus servile: qua ratione nequeunt hoc servitium indiscriminatim prestare parochianis, aut promiscue accedentibus ad officinam. Unam, aut alteram barbam sine necessitate radere erit veniale. Possunt tamen tondere aliquem itinerantem, vel unum, aut alium incola propter necessitatem, vel quando adeunt ad alium locum, in quo deficit barbitonsor, vel quando agricolæ nequeunt tondere aliis diebus absque notabili incommodo. Corduxæ, & Hispali juxta aliquos licitum est barbitonsoribus ex indulto Ordinarii vacare suæ arti diebus festis, exceptis solemnioribus, audita Missa, & clausa una ex duabus januis. Simile indultum concessit Bononiæ Illustrissimus Lambertinus, qui plura de hac materia congerit *Institut.* 43. De ferrantibus equos, idem teneas sua proportione, ac de barbitonsoribus; quos necessitas excusat, ut suam artem exercent.

35. Inq. 3. An opera religiosa licita sint diebus festis ratione pietatis, vel utilitatis Ecclesiæ? R. Opera religiosa esse in triplici differentia, seu gradu. In primo sunt opera spiritualia, ut recipere, vel ministrare sacramenta, seu alia, quæ ad altaris ministerium attinent. In secundo collocantur, quæ ad Dei cultum, licet non adeo immediate, ordinantur, ut cruce, aut imagines in processionibus gestare, organa, aliave instrumenta musica, aut cymbala pulsare. In tertio gradu

Oooo

du

36. Dicendum est 1. Quod per opera religiosa primi, & secundi gradus non violatur observantia festi, quia finis hujus præcepti est vacare a servilibus in Dei cultum: erg. eis, per quæ immediate Deo cultus tribuitur, non violatur hoc præceptum. Ideoque circumcisionem accipiebant Judæi in Sabbato, & victimas mactabant, aut præparabant Sacerdotes in Sabbatis absque crimine, ut dicitur *Matth. 12.*

37. Dicendum est 2. Quod opera tertii gradus, ut mundare, vel ornare templa, & altaria, deferre necessaria ad solennitatem, scopare vias publicas ad processionem, coquere hostias; aut similia licita sunt cum causa in die festo; differre autem ea ex negligentia ad diem festum est peccatum veniale: quia si commode possunt, præparari die antecedenti, aut profesto, omittere illa ad festum, a culpa levi non excusatur; gravis vero non consurgit: quia materia ex se levis est, & fit levior ex conjunctione ad cultum Dei, præciso scandalo, & contemptu. Si autem die antecedenti fieri non potuerunt, vel invincibiliter oblata sunt, excusantur ab omni culpa, quia jam est casus necessitatis.

## TRACTATUS DECIMUSQUINTUS

### DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

**Q**uartum Decalogi præceptum est de honore parentibus exhibendo, juxta illud *Exodi cap. 20. & Deuteronom. 5. Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Estque primum præceptum secundæ tabulæ: in qua præcepta erga proximum servanda continebantur. Ideo post notitiam trium præceptorum erga Deum, ad exploranda præcepta erga

38. Dicendum est 3. colere agros aliquid sita sunt opera sacrorum præparatoria, ut mundare, aut ornare templa; quibus ex pietate annectuntur alia servitia in utilitatem Ecclesiæ præstita, ut colere agros pauperulæ Ecclesiæ, vel ad ejus structuram lapides, aut alia congregare, & portare. Quibus suppositis...

39. Inq. 4. Quis possit dispensare ad laborandum in die festo? R. summum Pontificem posse, quia supra gaudet autoritate, tanquam Legislator Ecclesiæ universalis. Deinde Episcopus valet in sua Diocesi dispensare pro Synodabilibus festis, ut Legislator; pro festis vero communibus cum causa, & in casibus peculiaribus. Item Parochi dispensare possunt in aliquo casu particulari, cogente necessitate, deficientique facili recursum ad Episcopum. Tandem consuetudo licita facit opera servilia in festis, ubi, & quantum fuerit legitime introducta. Cavendum tamen est, ne corruptela sub larva consuetudinis foveatur. Non sine dolore conspicimus plures dies, qui festivi non sunt, a plerisque insumi otio, confabulationibus, ludis, potationibus, choræis, comediis, & aliis inutilibus exercitiis; diebus autem festivis vacare servilibus prætextu necessitatis, & inopie. Curent igitur Episcopi, & Parochi hujusmodi abusibus occurrere, si sit possibile. Vid. inst. 65. Ben. 14.

proximum accedimus: inter quæ honor parentibus debitus primum merito obtinet locum.

### CAPUT

## CAPUT UNICUM

### De honorandis parentibus.

#### PUNCTUM I.

#### De obligatione filiorum erga parentes.

1. Inq. 1. Quid jubeatur in quarto Decalogi præcepto? R. præcipitur honorare parentes. Hoc est honorare 1. eos, qui nos corporaliter genuerunt. 2. eos, qui nos spiritualiter regenerarunt, & regerant, ut Ecclesiæ Præsides, Sacerdotes, & ministros nostræ salutis spiritualis. 3. Reges, seu Principes nostros, Gubernatores Regni, & Magistratus, & Duces reipublicæ. 4. Tutores, curatores, & Magistros. 5. Senes, & ætate provectos, & omnes, qui dicuntur, & sunt majores ætate, dignitate, & regimine. 6. Debetur peculiaris fratribus, consanguineis, & affinibus juxta majorem, aut minorem propinquitatem. 7. Debetur etiam specialis honor benefactoribus, concubibus, & amicis. Hos omnes honorare, servata proportione, ex virtute pietatis, & observantiæ tenemur, ut docet D. Th. 2. 2. q. 101. & 102.

2. Inq. 2. Quam obligationem inducat amor parentibus a filiis exhibendus? R. triplicem obligationem inducere in filiis. *Prima* est amoris, & reverentiæ. *Secunda* obedientiæ, & cultus. *Tertia* subventionis, & sustentationis in necessitatibus. Tenentur igitur filii primo honorare parentes, eos peculiariter, quam ceteros proximos amando, & numquam eos odidendo. Unde si filii eos odio habeant, peccant graviter non solum contra caritatem, qua omnes diligere debemus; sed etiam contra pietatem, qua parentes amare tenemur. Secundo debent filii revereri parentes in signum amoris, de eis honorifice loquendo, numquam detrahendo, eis famulando, coram eis assurgendo, caputque inclinando. Hæc enim, & similia postulat reverentia parentibus jure debita.

3. Inq. 3. Quando peccent graviter filii contra amorem parentibus debitum? R. Primo peccare filios, quando eis grave damnum, ut mortem, infamiam, vel

quid simile deliberate exoptant. Nota obiter propositiones 13. 14. & 15. damnatas ab Innoc. XI.

Secundo, si eos graviter contristent verbis, aut factis, aspere eos alloquendo, torvis oculis aspiciendo, gestibus protervis, irrisionibus, despectionibus, aut aliis injuriis afficiendo, eorum consilia deridendo, aut contemnendo; & quod pejus est, ac natura ipsa horret, si in eos manus injiciant, lædant, aut subtrahant, aut comminentur, manum, aut virgam iracunde elevando. Unde tribus lanceis cor Absalonis esse transfixum dicunt plures ob mortis machinationem in parentem. 2. *Reg. 18.*

4. Tertio, si parentes mortuos debite sepulturæ non curent mandari. Si pro eis preces, & sacrificia non studeant offerri. Si eorum testamenta non adimpleant. Si debita eorum negligent absque causa solvere. Si non curent, ut parentes in mortis periculo sacramenta recipiant, atque testamentumificent. Quarto, si eos in judicio, sive civili, sive criminali accusent, exceptis causis hæresis, prodicionis patriæ, & conjurationis in Principem; si hæc ultima delicta aliter vitari nequeant: quia bonum commune cuilibet privato est præferendum. Quinto, si parentes scienter ad gravem iram, seu ad maledicta provocent. Sexto, si eos contemnunt, vel recognoscere dedignantur; nisi forte hoc accidat in aliqua rara circumstantia, qua filiis afferret aliquod grave damnum in vita, fama, aut honore: tunc enim excusabilis esset prudens dissimulatio, ipsis postea manifestanda, ne tristitia, & mærore afficiantur.

5. Inquires 4. Quando peccent filii contra obedientiam parentibus debitam? Resp. filios teneri parentibus obedire in omnibus pertinentibus ad curam domesticam, & ad morum disciplinam, atque educationem, juxta illud ad Ephesios 6.

1. *Filii obedite parentibus vestris in Domino.* In omnibus ergo licitis debent filii humiliter obedire parentibus exemplo Christi, qui licet Dominus omnium esset, tamen Beatissimæ suæ matri, & castissimo ejus sponso subditus erat. Unde, nisi excuset materiæ parvitas, aut intentio præcipientis, peccant graviter: Primo,